

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Gratianus D. 4. cap. In istis dicit ex Aug. l. 1. de vera Relig. cap. 31. Leges instituntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. L. De quibus ff. de Legibus: Ipsa leges non alia de causa nos tenent, quam cum iudicio populi recepta sunt. Et Aristot. 2. polit. cap. 6. dicit, legem nullam vim habere, ut sibi pareatur, nisi ex more populi: ergo. R. Ad 1. hæc verba, ut jam alibi dixi, non repetiri in Aug. sed esse ipsius Gratiani. Sed cujuscumque sint, plus nocent, quam prosunt adversæ sententiæ. Si enim leges instituantur, cum promulgantur: ergo per solam promulgationem aut acceptationem sunt veræ leges. Cum autem addit Gratianus, leges firmari moribus utentium, sensus est, quod per usum roborentur & removeantur a periculo abrogationis per contrariam consuetudinem; unde non dicitur acceptationem, sed moribus utentium firmari.

Inst. Refert ibidem Gratianus; Telesphorum Papam non punivisse Clericos, qui contra suam legem a Dominica Quinquagesimæ non abstinuerant a carnibus, quia, inquit, moribus utentium præbatur non est. R. Iterum hæc verba non esse Thelesphori, sed Gratiani; & ibi sermonem esse de lege per dissuetudinem, non contradicente Pontifice, abrogata. Leges autem posse per consuetudinem contrariam abrogari, dicemus infra. Necinde valet argumentum ad non acceptationem, ut modo dicam.

Ad 2. R. Ibi agi de legibus Reipublicæ Romanæ, cum, abjecta Monarchia, summa potestatis erat penes populum, a quo proinde pendebant leges, non ut acceptante, sed ut instituyente: & non est hic noster casus. Verum istæ leges non pendebant ab acceptatione Provinciarum Reipublicæ subiectarum; & hic est noster casus. Fatemur ergo, quod, si suprema potestas sit penes populum, ut in Democratia; vel penes Optimates, ut in Aristocratia; vel penes Principem & Senatum, ut in Monarchiâ temperatis Aristocratia; tunc leges pendeant, vel a Populo, vel ab Optimatibus, vel a Principe & ejus Senatu, ut instituantur: at negamus, semel institutas sive a Principe solo, cum est absolute Dominus, vel a Principe cum Senatu, vel ab Optimatibus, posse recusari a Populo, & pendere ab ejus acceptatione, ut valeant. Ad tertium. Sensus Aristotelis est, quod lex ex more per actus repetitis acquisita, hoc est, ex assuefactione acquirit vim, ut sibi facile pareatur; intendit enim ibi probare leges non esse facile mutandas, quia semel instituta ex assuefactione facillius observantur.

Obj. 2. Lex acceptata & observata per consuetudinem populi contrariam abrogatur, & desinit obligare: ergo a pari & a fortiori lex a populo ab initio recusata non incipit obligare. R. D. Ant. Lex per consuetudinem contrariam ex Legislatoris consensu vel tacito, vel in Jure declarato, abrogatur & desinit obligare, C. Ant. Secus, N. Ant. & Conseq.

Subsumes; atqui, quando lex a Populo non acceptatur, jure præsumitur Legislatorem consentire in ejus abrogationem, seu iritationem: ergo. Prob. Subsumptum: Lex a populo non acceptata desinit esse utilis, & fit noxia atque periculosa, ut potè causa tumultuum & rebellionum: ergo. C. N. Subsumptum. Ad probat. N. Ant. universaliter sumptum; seu D. Lex a Populo non acceptata desinit esse utilis ex contumacia rebellionum, Transeat; ratione sui, N. Quapropter non est tollenda lex, sed frangenda gravioribus penis inflicta rebellionum, maxime præcipuorum, pernicia, & sic remanebit legi sua utilitas. Ceterum prudentis Legislatoris est in hoc casu conferre utilitates ex observantia legis speratas, & periculum enervandæ suæ auctoritatis, si relaxet, cum inconvenientibus ex contumacia rebellionum nascitur; & secundum id, quod prævalebit, vel suspendere suam legem & dissimulare ad tempus, vel severius punire rebelles, & ad obediendum compellere.

Dum verò Legislatore, sciens & videns suam legem violari, non punit transgressores, dum potest, censetur suam legem auferre, aut suspendere; ad quod juxta Auctores sufficienter quaeritur, aut quinque transgressiones impunitæ. Neque necesse est, saltem ut censent aliqui, quod Legislatore per se sciat, aut videat transgressiones; sed sufficit, quod innotescant ejus Ministris, aut Episcopis, si sit lex Pontificis. Ità refert noster Gonet. In quo casu, quamvis rebelles primò peccaverint, potest tamen deinceps sine peccato negligere legem tanquam suspensam, vel ablatam.

Observant insuper Auctores, quod, quando res eò devenit, ut major pars communitatis legem nec acceptat, nec observat, etiamsi urgente Legislatore acceptationem & observantiam; minor pars, que huc usque Legem servavit, excusatur deinceps ab ejus observatione ex præsumpta voluntate Legislatoris, qui respectu istorum paucorum obedire paratorum censetur, vel legem suspendere, vel in ea dispensare; eò quod observando legem nimis foret illis difficile cum transgressoribus

numero & auctoritate prævalentibus convivere. Debent tamen esse sic semper animo dispositi, ut, cum contrariam voluntatem Legislatoris noverint, sint obedire parati; nec ex sua parte stet, quominus lex justa observetur. Item, dum consuetudo legitime præscripsit contra legem, omnes a lege esse liberos dicemus infra. Nomine autem communitatis hic intelligitur, non solum tota Ecclesia, aut Regnum, sed Provincia, Diocesis, Civitas, & quælibet multitudo aliquid corpus politicum seorsim constituens.

Inst. Sæpè tam Pontifices, quam Reges, ex ignorantia morum cujusque Provincie fuerunt leges, que bono communi aliquis Provincie magis obsunt, quam prosunt: ergo tunc saltem jure præsumitur esse voluntatem Legislatoris, quod non habeant vim, nisi ex consensu istius Provincie. R. 1. N. Ant. Neque enim Pontifices, neque Reges solent ferre leges nisi adhibito prudenti consilio, & facta sufficienti inquisitione, quid moribus cujusque Nationis, aut Provincie conveniat, vel non. 2. Si alijus communitatis Rectores, aut Primates existiment coram Deo legem latam non fore utilem subditis, sed potius noxiam, possunt ad tempus legem suspendere, & interim rationes exhibere Legislatori; qui, si ponderatis omnibus, urgeat nihilominus acceptationem & observantiam legis, est ipsi parendum, & lex observanda.

Obj. 3. Legislator habet suam auctoritatem a Populo: ergo non potest, nec debet ea uti in condendis legibus, sine consensu populi. R. hanc objectionem deficere 1. in Legislatoribus Ecclesiasticis, quam suam auctoritatem habent a Christo. Item in Principibus civilibus, qui eam habent jure Belli in subactas Provincias. Quantum ad cæteros, N. Conseq. Nullum est enim fundamentum dicendi, quod populus sub ea restrictione contulerit potestatem Principibus, ut patet ex probat. Conclusionis. Unde, quamvis olim Romani ad aliquod tempus ita egerint, postea tamen, deprehensis talis Regiminis inconvenientibus, in capita Reipublicæ auctoritatem absolute contulerunt; & ita fit ordinariè. Collatam autem semel absolute potestatem non potest populus ad nutum revocare, sed tenetur obedire, quibus se submisit. Vide probationes Conclusionis.

Obj. 4. Et specialiter contra leges Pontificis ex differentia, que intercedit inter illas & civiles. 1. Potestas Ecclesie data est in ædificationem, & non in destructionem: ergo nihil fidelibus est imponendum, quod possit eos offendere. 2. Ipse Christus hanc differentiam inter utrasque leges aperit innuit, dum Luc. 22. contentionem ortam inter discipulos his verbis sedavit: Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent beneficii vocantur; vos autem non sic. 3. Principes civiles non solum gerere debent curam singulorum Civium, sed maxime totius Reipublicæ, & idèd possunt Civis invitos aliqua lege cogere in bonum commune totius Reipublicæ: Principes autem Ecclesiastici invigilare præcipi debent singulorum salutem, exemplo boni Pastoris deserentis nonaginta novem oves, ut unam perditam quaereret. Ità illustrissimus Marca lib. 2. concord. Sacerd. & Imp. c. 16. 4. In Gallia, in Hispania, & Belgio leges Pontificis non habent vim, nisi fuerint in supremis Curis acceptate, & permissæ promulgari, seu ut communitè dicunt, nisi fuerint munitæ Placito Regio: ergo. R. ad 1. Potestatem civilem pariter esse datam ad ædificationem, non ad destructionem; indèd tamen non sequitur leges non esse imponendas civibus. Equidèd neque civibus, neque fidelibus debet imponi quidquam, quod illos jure offendat; ad justas leges neminem jure offendunt. Improbes offendunt propter illorum improbitatem, bonis autem placeant. Ad 2. Sensus horum verborum est, potestatem Ecclesiasticam non esse exercendam more civili cum armis & terrore, atque ostensione potestatis, & adhibito satellitio, sed cum cura & vigilantia erga fideles. Vel dicendum, ut aliis placet, contentionem ortam inter discipulos fuisse, qui eorum esse major in Regno caelorum, ut innuit versus sequens 29. quo supposito, sensus verborum Christi est, quod major elevatio in Regno caelorum non rependatur potestati, sed humilitati. Utramque explicationem tradit Estius in hunc locum. Ad 3. Pastores Ecclesiastici debent pariter invigilare, non solum singulorum salutem, sed maxime communi bono totius Ecclesie. Neque contrarium evincit Parabolâ boni Pastoris; nam per nonaginta novem oves intelliguntur Angeli, per centesimam perditam genus humanum; vel ut alij dicunt, per nonaginta novem intelliguntur justi, per unam perditam peccatores. Ad 4. R. hæc esse Privilegia, seu ut vocant, libertates ex concessione, aut consensu SS. Pontificum. Quantum ad Belgium tamen non conveniunt Theologi. Zipeus & Vvameus istud Privilegium restringunt ad solas provisiones beneficiales, quia Principum Belgii Edicta de his tantum loquuntur. Bertrandus Loth. e contra extendit illud ad omnia diplomata Pontificia ex usu, per longam annorum seriem continuato, scientibus & non contradicentibus SS. Pontificibus: Neque id solida ratione improbari potest, inquit Boudart. Recentiores Theo-

Theo-

Theologi Belgæ Steyartius & Daelman hunc usum non ita certum reputant, nisi quoad penas in Diplomatis Pontificis contentas; que Judices seculares executioni mandare non solent, nisi adit Placitum Regium.

Addunt cum aliis communitè circa Decreta fidei & morum, seu Constitutiones dogmaticas, quod neque Principes Belgii, neque ulli alij Catholici possint illis injicere moram; tum quia, ut diximus, istæ Bullæ non indigent promulgari, sed sufficit undequaque hausta earum notitia; tum quia alioquin Princeps secularis judicaret de fide & moribus, cum, denegando placitum, diceret Decretum Pontificium non obligare; idèdque non esset sic tenendum, quod Pontifex docerit esse sic tenendum. Juvat hic audire Cabassurium, celebrem Scriptorem Gallum l. 1. Theor. & prax. c. 4. ubi postquam propugnavit sententiam nostræ oppositam, nimirum leges pendere ab acceptatione populi, sic prosequitur num. 6. At verò proptus

aliter judicandum est circa Decreta fidei, quibus ligatur quicumque privatum illorum habet sufficientem notitiam, quamvis neque in Provinciis promulgata, neque publice recepta fuerint... sic infidelis astringitur obligatione fidei, si ei sufficienter, quamvis per privata colloquia proponatur, ut contingit in Eunucho Regno Candacis cum Philippo Diacono, Act. 8. Et qui in Provincia dissita certò sciret, idem aliquod fidei decretum fuisse Roma ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur.

Observat insuper Daelman, quasdam Curias Belgii pluribus exposulasse a Regibus Hispaniæ, ut neque Constitutiones dogmaticæ vim haberent absque Placito, & repulsam passas fuisse, præsertim a Philippo II. & Philippo IV. consequenter eos in errore versari, & contra reverentiam suis Principibus debitam agere, qui hodiè ad hujusmodi Constitutiones Placitum requirunt, aut tenent requiri.

DISSERTATIO IV.

DE POTESTATE LEGIS HUMANÆ.

D. Thom. Quæst. 96.

ARTICULUS I.

Utrum Lex humana possit præcipere, aut prohibere actus internos.

Nota Actus internus potest considerari dupliciter. 1. Secundum se seorsim nullam habens connexionem cum externo, ut simplex intellectus, simplex volitio, simplex actus fidei, spei, &c. 2. Ut connexus cum actu externo. Dupliciter autem potest actus internus connecti cum externo: uno modo per accidens, sic v. gr. intentio penitentia, aut vana glorie connectitur cum erogatione elemosynæ, potest enim elemosyna fieri absque tali intentione: altero modo per se; & hoc iterum dupliciter: 1. Tanquam causa per se actus externi in genere moris constituti, ut volitio libera dandi elemosynam, recitandi Horarum, conjugitur per se cum elemosyna, aut recitatione Horarum; sine illa enim elemosyna, aut Horarum recitatio non fieret, nec esset actus humanus. 2. Tanquam conditio necessaria requisita, ut actus exterior constituratur in certa specie moris, ut v. gr. attentio interna ad recitationem Horarum, dolor internus ad Confessionem; sine enim attentio interna recitatio Horarum non foret oratio, & sine dolore interno Confessio non esset Sacramentalis. Actus interior, qui connectitur cum exteriori ut causa per se illius, manifestatur per exteriorem; nemo enim facit elemosynam, qui non velit illam facere. Actus interior, qui connectitur alio duplici modo cum exteriori, non manifestatur per illum; quia actus exterior potest esse sine illo, ut elemosyna sine intentione vana glorie, recitatio Horarum sine attentio interna.

Quæstio est, quid possit lex humana circa hos omnes actus internos. De lege civili non est magna difficultas; conveniunt enim communitè Auctores eam non extendi ad actus merè internos, quia finis ejus proprius est tranquillitas & pax externa, que ab exterioribus dependet, non ab internis. Quantum ad actus internos conjunctos cum externis, patet ex dicendis infra. Controversia itaque est de lege Ecclesiastica. Plures tenent, per eam posse præcipi, aut prohiberi actus merè internos: ita Adrianus & quidam antiqui, quibus subscribunt multi Recentiores; hancque sententiam esse bene probabilem, non diffiteor, ut patet ex Objectionibus. Quidam negant, per legem Ecclesiasticam posse præcipi, aut prohiberi tam actus purè internos, quam conjunctos cum externis, nisi per externos manifestentur. Alii tandem tenent, legem humanam non posse quidèd præcipere, aut prohibere actus merè internos; posse tamen actus internos per se conjunctos cum externis. Ità Thomæ cum suo Auctore. Quantum autem ad actus internos conjunctos per accidens cum externis, dissentiunt.

Dico 1. Probabilis est, & menti S. Thom. conformis, legem Ecclesiasticam non posse præcipere, aut prohibere actus merè internos, qui nullam habent connexionem cum externis. De mente D. Thom. quam oppositæ sententiæ Parroni in duobus revocant, judicet Lector ex sequentibus. 1. S. Doct. hic 9. q. 1. art. 4. o. prohibet, necessariam fuisse aliquam legem divinam hac ratione: De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus moribus; qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent; tamen ad perfectionem virtutis requiruntur, quod in utriusque actibus homo rectus existat; & idèd lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus,

sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniat lex divina.

Respondet Sylvius, Ethica, & alij communitè, S. Thom. non dixisse legem humanam non posse absolute cohibere, & ordinare actus internos, sed non posse sufficienter; quia, licet possit eos præcipere, aut prohibere sub culpa & pena, seu censura coram Deo incurrenda, non potest tamen transgressores humano iudicio convenire, nec punire. Sed contra. S. Thom. sic negat legem humanam sufficere ad cohibendos, & ordinandos actus internos, ut simul neget posse ferri de illis; imò idèd negat posse illos ordinare, quia negat posse ferri de illis, & negat posse ferri, quia negat hominem posse judicare de internis. De his, inquit, potest homo legem facere, de quibus potest judicare: iudicium autem hominis non potest esse de moribus interioribus, qui latent. Potentissima consequentia est: ergo de interioribus non potest legem ferre. Præpostere itaque procedit unde adversarij, dum iudicant de principio ex Conclusionem, cum è contra debeant intelligere Conclusionem ex principio. Unde, quando S. Doctore concludit: Et idèd Lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter actus interiores: Sensus est, quod non erat sufficiens ad illos ordinandos, ac cohibendos: quia de illis non poterat judicare; & quia non poterat de illis judicare, idèd non poterat de illis ferri, consequenter necessaria fuit ad hoc lex divina.

Respondet P. Henno, S. Thom. loqui de lege quoad vim coactivam, non quoad vim directivam. Sed contra 1. propositio S. Thom. est indefinita in materia dogmatica: De his homo potest legem ferre, de quibus potest judicare; consequenter universalis, & de quacumque lege, & sub quovis respectu intelligenda; juxta Regulas Dialecticæ. 2. S. Doctore non agnoscit legem, que non sit coactiva, ut patet ex sequentibus. Unde 2. S. Thom. hic quæst. 100. art. 9. o. sic loquitur: Dicendum, sicut supra dictum est (scilicet quæst. 90. art. 3. ad 3.) præceptum legis habet vim coactivam. Illud ergo cadit directè sub præcepto legis, ad quod lex cogit. Coactio autem legis est per metum pena, ut dicitur in X. Ethic. cap. ult. Nam illud propriè cadit sub præcepto legis, pro qua pena legis infligitur. Ad instituentem autem penam aliter se habet lex divina, & aliter lex humana. Non enim pena legis infligitur nisi pro illis, de quibus Legislator habet judicare, quia ex iudicio lex ponit. Homo autem, qui est Legislator legis humane, non habet judicare nisi de exterioribus actibus: quia homines vident ea, que parent, ut dicitur 1. Reg. 16. sed solum Dei, qui est Lator legis divine, est judicare de interioribus moribus voluntatum, secundum illud Ps. 7. scrutans corda & renes Deus. Quid iterum expressius?

Respondet Sylvius, legem humanam non posse judicare de interioribus in ordine ad penam per illam inferendam: Bene. Subsumo; atqui juxta S. Thom. nihil cadit sub præcepto legis, nisi id, ad quod lex ipsa cogit per penam per ipsam inferendam, quia præceptum legis habet vim coactivam, & lex non punit nisi ex iudicio: ergo a primo ad ultimum lex non potest ferri, de quibus non potest judicare.

3. S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. o. In his, inquit, que pertinent ad interiorem matum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo; intelligi per se loquendo, id est, vi superioritatis, & subjectionis præcisè, seciudendo vinculum voti, vel aliud, quo quis se adstringere potest. Discussa mente D. Thom. veniamus ad alias probationes. Itaque

Prob.

Prob. 1. ex Jure. Cap. *Si quando*, causa 15, quæst. 6. Alexander Papa loquens de interiori voluntate dicit: *Non potest humano condemnari exanimæ, quem Deus suo reservavit iudicio.* Cap. *Tua nos* de Simon. Dicit Innocent. III. *Nobis solum datum est de manifestis iudicare.* Cap. *Sicut eodem titulo: Ecclesia non iudicat de oculis.* Prob. 2. Ratione petita ex principiis positis S. Thom. Lex non potest præcipere, aut prohibere id, ad quod faciendum, vel vitandum non potest cogere; atqui lex humana non potest cogere ad faciendum, vel vitandum actus merè internos: ergo. Min. patet ex dictis; quia homo non potest cogere ad id, de quo non potest iudicare; coactio enim est per meritum poenæ; & poena non infligitur nisi ex iudicio: non potest autem homo de merè internis iudicare. Prob. ergo. Maj. Lex, quæ non foret coactiva, esset inutilis & inefficax ad effectum obtinendum. In primis esset inutilis probis & iustis; iis enim sufficit proponere simpliciter consilio absque præcepto, quæ sunt necessaria, aut convenientia bono communi, ut illa præsentent. Unde S. Thom. q. præced. art. 1. probat necessitatem legum humanarum esse sola pervicacia, & protervitate malorum. His autem esse etiam inutilis & inefficax; quia mali, & protervi non moventur solis verbis, neque poenis distantibus alterius vitæ, aut invisibilibus & insensibilibus, sed solum presentibus & sensibilibus, ut diximus art. 1. præcedentis Dissert. ergo.

Si dicas, legem humanam posse præcipere, aut prohibere actum externum occultum, quem tamen Legislator non potest iudicare, nec punire: ergo similiter actum internum. R. N. Conseq. Disparitas est, quod actus externus occultus, hoc ipso quod est externus, sit in se & ex natura sua manifestus, & tantum per accidens occultus, defectu scilicet testium, si que per accidens dumtaxat non posse ab homine iudicari & puniri: Lex autem, cum non respiciat id, quod est per accidens, potest præcipere, aut prohibere id, quod est in se, & ex natura sua manifestum, & ad iudicium humanum deduci potest. Actus autem merè internus, cum sit a se & ex natura sua occultus, atque humano iudicio subtractus, non potest ab homine iudicari & puniri, ideoque nec humana lege præcipi, aut prohiberi.

Prob. 3. alia ratione. Potestas legislativa humana est jurisdictionis, & per se primò tendens ad externum & commune regimen; atqui actus merè interni non sunt materia apta ad huiusmodi regimen: ergo. Prob. Maj. Respublica, tam Ecclesiastica, quam Civilis, est corpus visibile & externum: ergo potestas ejus legislativa est per se primò ad regimen externum. Hanc rationem indicat Auctor 2. 2. loco prius cit. Confirmatur: Quamvis potestas conferendi Sacramenta sit spiritualis, quia tamen residet in hominibus, qui non nisi modo sensibili ad invicem operantur, non nisi circa sensibilia versatur: ergo pariter, quamvis potestas legislativa Ecclesie sit spiritualis, quia tamen residet in hominibus, qui humano & sensibili modo debent ad invicem operari, non potest nisi circa res sensibiles, & exteriores operari.

Dico 2. Lex humana potest præcipere, aut prohibere actus internos, qui necessario requiruntur, ut externi constituantur in genere, vel certa specie moris.

De internis, qui requiruntur ut causa per se exteriorum in genere moris, patet: quia lex præcipiendo, v. gr. jejuniæ, præcipit voluntatem liberam, & efficacem jejunandi, sine qua jejuniæ non foret actus humanus, qualem lex præcipit: & aliunde talis actus internus manifestatur per exteriorem.

De interno autem, qui requiritur tantum ut conditio, per quam externus constituatur in certa specie moris, probatur: Qui habet jus præcipiendi aliquid, habet jus præcipiendi omnem id, sine quo non potest esse, alioquin esset potentia chymica; atqui lex humana habet jus præcipiendi plures actus exteriores, qui requiruntur actus interiores ad sui integritatem moralem in certa specie: sic v. gr. lex Ecclesie præcipit recitationem Horarum ut orationem, ad quam necessario requiritur attentio interna; præcipit confessionem peccatorum ut sacramentalem, quæ non est sine dolore interno; communionem paschalem ut animæ refectionem, quæ non habetur per communionem sacrilegam: sic similiter lex civilis præcipit juramentum, quod non stat sine intentione jurandi; contractum, qui non subsistit sine voluntate se obligandi: ergo. Hinc Alexander VII. merito damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesie.* Et Innocentius XI. istam: *Præcepto communionis annuè satisficit per sacrilegam Domini manducationem.*

Si dicas, legem non posse iudicare de actu interno, qui tantum requiritur ad exteriorem, ut conditio integritatis speciem moralem, cum per exteriorem non manifestetur: sic attentio interior, aut ejus defectus non manifestatur per recitationem externam Horarum. Si autem non potest de illo iudicare, non potest illum punire, nec consequenter præcipere, aut prohibere

ex principiis positis. R. legem humanam non posse equidem iudicare directe de huiusmodi actu interno; posse tamen indirectè, quia hoc ipso quo tantam habet connexionem cum externo, ita ut sine illo externus esse non possit in sua specie, ferendo iudicium, & legem directe de externo, fert indirectè iudicium, & legem de interno connexo. Neque obstat, quod talis actus internus non possit puniri a lege; cum enim dicimus legem esse coactivam, intelligimus non de actu, qui indirectè & ratione alterius præcipitur, aut prohibetur, sed de actu, qui directè & ratione sui cadit sub lege, sicut caderet actus merè internus, si ab illa præciperetur, aut prohiberetur.

Dico 3. Probabilius est, legem humanam posse præcipere, aut prohibere actum internum, qui conjungitur cum exteriore ut causa illius per accidens tantum. Est Cajet. verbo *Excommunicatio. c. 3.* & verbo *Horæ Canonice §. quoad tertium.* & *Domini. Soto l. 10. de just. quæst. 5. art. 5.* quos citat & sequitur Marcus a Serra, contra Gonetum, qui in hac parte non videtur sat consequenter loqui. Prob. 1. Ex Jure: Clementina I. de statu Monach. l. 5. tit. 10. excommunicatur Monachus confersens se ad curiam animo accusandi Prælatum. Clement. I. de hereticis l. 5. tit. 3. excommunicatur Inquisitor, qui odio, vel amore, aut cupiditate lucri omiserit contra reum procedere, aut insontem vexaverit. Cap. *Nostris* de sentent. excommunicationis, excommunicantur omnes hæretici; quod intelligitur de hæresi non purè interna, sed conjuncta cum aliquo actu exteriori: hæc omnia agnoscit Gonet & sibi objicit, solvit autem dicendo hæc interiora prohiberi ut conjuncta cum exterioribus. Equidem verum dicit: sed subsumo; atqui sunt conjuncta per accidens tantum, & non per se; nam animus accusandi Prælatum non conjungitur ut causa per se, sed per accidens tantum, accessus ad curiam, posset enim ex alia causa iste accessus procedere. Similiter odium, vel amor non est causa per se omissionis inquirendi, aut vexationis injustæ, cum utraque possit esse in alia causa. Item hæresis interior non est causa per se denegationis exterioris fidei; potest enim hæc denegatio exteriori contingere ex metu, spe lucri, respectu humano, &c. ergo.

Prob. 2. Ratione cum laudato Serra: actus interior, qui est causa etsi per accidens exterioris, procedit ad extrà, fitque per se manifestus ratione sui effectus, quocum unum actum in genere moris, unumque peccatum constituit, licet per accidens sit occultus, quia ignoratur ejus influxus in actum: sicut actus exterior, qui fit sine testibus, per se manifestus est, quia fit ad extrà, licet per accidens sit occultus, quia ignoratur esse factum ad extrà: ergo, sicut iste potest subjici legi propter existentiam, quam habet ad extrà, ita ille ob causalitatem, quam habet ad extrà.

Solvuntur Objectiones contra primam Conclusionem.

Obj. 1. Potuit Christus potestatem legislativam in actus purè internos conferre Ecclesie: ergo contulit. Prob. Ans. Quia potest Christus mediante altero præcipere, quod potest per seipsum immediatè, cum id ipsum faciant Reges terræ. Sed præcipit Christus actus merè internos fidei, spei, &c. ergo illam potestatem potuit Ecclesie conferre, reservando sibi de illis actibus iudicare, ac poenam infligere. Prob. Conseq. Quia Christus dedit Ecclesie suæ potestatem legislativam in ordine ad animarum salutem: sed nihil magis conducit ad eam, aut ab ea retrahit, quam actus interni. Ita erudit. P. Henno, cuius argumentum posset confirmari ex verbis Christi ad Petrum; *Quodcumque ligaveris, &c.* Et hæc est ratio fundamentalis contrariæ sententiæ. R. 1. omissio Antecedente, N. Conseq. Hanc enim potestatem Christus Ecclesie non contulisse colligitur ex Apost. 1. Cor. 4. ubi Deus dicitur solus scrutator cordium, & ex probationibus Conclusionis; maxime quia, cum Christus instituerit Ecclesiam Republicam visibilem, cuius caput esset visibile, & omnia membra visibilia, congruum erat, ut regimen esset visibile, hominesque visibiles, & sensibiles regerent, & regerentur modo sensibili & visibili. Neque contrarium evincit probatio objicientis; D. enim ejus Maj. dupliciter: 1. Christus dedit Ecclesie potestatem legislativam in ordine ad animarum salutem quocumque modo, N. Judicando & cogendo, C. 2. Dedit Ecclesie potestatem legislativam in ordine ad animarum salutem, ut ad finem remotum, C. Ut ad finem proximum, N. Finis enim proximus potestatis Ecclesiasticæ est tranquillitas exterior, & externa conversationis directio, mediante qua, atque simul præcipiendo actus internos cum exterioribus conjunctos intendit, & obinet finem remotum, salutem scilicet animarum. Ut enim dicit Auctor q. præc. art. 1. instituantur leges, ut mali malè facere desistantes, & aliis quietam vitam reddant, & ipsi tandem per assuetudinem ad hoc perducantur, quod voluntariè faciunt, quæ prius metu implebant, & sic fiunt virtuosii. Quantum ad verba

ha Christi ad Petrum, intellecta de foro externo, accipiuntur secundum distributionem accommodatam; de omnibus scilicet, quæ congruunt sensibili hominum regimini, & de quibus Ecclesia potest iudicare, & ad quæ potest cogere. R. 2. Omissi Ant. Quia equidem posset Christus dare Ecclesie suæ potestatem præcipiendi actus purè internos. At ista potestas non esset potestas jurisdictionis & legislativa, nec fideles obligarentur vi præcepti Ecclesie, sed vi præcepti divini, ita ut præceptum Ecclesie foret dumtaxat conditio, mediante qua obligatio præcepti divini afficeret fideles: sicut, si Rex (ut exemplo arguimus) daret Gubernatori Civitatis potestatem aliquam præcipiendi Civibus, sic tamen quod iste Gubernator neque posset iudicare de transgressionibus, neque compellere Civem ad obediendum, imò neque cognoscere, an lex servetur, vel violeto: profectò iste Gubernator neque haberetur a Civibus ut verus Legislator, neque se crederent obstrictos vi illius præcepti, sed vi mandati Regis, cujus Gubernator esset & haberetur præco dumtaxat.

Inst. Potestas Ecclesiastica est spiritualis, & in hoc distinguitur a potestate civili: ergo versatur circa actus spirituales & internos. R. Duplicem esse in Ecclesia potestatem, unam fori interni, seu conscientie, alteram fori externi. Has potestates in hoc distinguit Auctor in 4. d. 18. q. 2. art. 2. o. quod in foro interno agatur causa inter Deum & hominem; in foro autem externo agatur causa hominis ad hominem. Prima potissimum versatur circa actus internos, quia per eos homo maxime ordinatur ad Deum, & iis maxime promovetur salus, propter quam primo data est. Altera autem, quatenus est gubernativa communitatis fidelium ut sic, habet etiam materiam sibi proportionatam, scilicet actus externos ad conversationem & directionem externam spectantes; & ad hunc ordinem pertinet potestas Ecclesie legislativa. Nam, licet, ut jam dixi, Ecclesie leges ordinentur ad finem supernaturalem & bonum spirituale animarum, non tamen immediatè illud operantur, sed mediante honestate & virtute actuum exteriorum. Dicitur autem hæc potestas legislativa spiritualis, tum ratione originis, quia est immediatè a Deo, tum ratione finis mediati, qui est salus spiritualis animarum, ut dictum est, tum etiam ratione materie, non quod versetur circa actus merè spirituales & internos; sed quia omne exterius, quod præcipit, aut prohibet, ut sunt jejuniæ, festa, preces; frequentatio Sacramentorum, &c. natum est conducere hominem ad profectum anime spirituales, & his omnibus distinguitur a potestate civili.

Obj. 2. Quando Ecclesia definit aliquid de fide tenendum, obligat ad assensum internum, ut patet ex Bulla Clementis VI. *Veni Domini Sabbathi*, & multis aliis Ecclesie decretis: ergo. R. N. An. Ecclesia enim tantum declarat & proponit, quid sit fide tenendum (non enim ipsa condit novos articulos fidei), quia declaratione & propositione facta, quilibet fidelis tenetur Jure divino interius assentire.

Inst. 1. Ecclesia prohibet aliter credere, vel sentire, quam sit definitum; ideoque ordinariè sub anathemate, & aliis Censuris Ecclesiasticis. Sic c. *Excommunicamus* & *Gaudentes* extra de Hæreticis excommunicatur quis hoc ipso, quo credit Hæreticis. Conc. Tol. 1. pluribus dicit anathema ei, qui *crediderit, aut dixerit* contra fidem ibi declaratam. Conc. Trid. sess. 6. in Proœmio *districte inhibet, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere.* Quibus in locis prohibentur ut distincta, *aliter credere*; quod est solum animi, & *aliter prædicare, aut docere*, quod est operis externi. Clemens XI. Bulla cit. circa factum Jansenii subijcit Censuris Ecclesiasticis eos, qui *aliter senserint, tenuerint, prædicaverint, docuerint, aut asseruerint.* Similiter Martini V. in Conc. Constatiensi adversus sectatores & fautores Wicheffii, Jo. Hus & Hieron. de Praga: ergo. R. Hæc & similia intelligenda esse de fide, seu assensu, non purè interno, sed exterius manifestato. Colligitur ex ipso cap. cit. *Excommunicamus*, ubi statim subjungitur: *Ut, postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis; nec ad publica officia admittatur.* Que aperte significant excommunicationem ibi latam respicere illos, qui dignoscuntur illa notari; quod non potest habere locum in his, qui solum interius credunt Hæreticis. Et hæc solutio ideo vera est, ut ipsimet adversæ sententiæ Patroni communiter admittant Hæreticos merè internos nullam incurere Censuram: *Hæreticus purè mentalis*, inquit Sylvius 2. 2. q. 11. art. 3. quæstio 1. Concl. 1. *est quidem verus Hæreticus, non tamen est communicatus, ideoque potest a quolibet suo Confessario absolvi.* Hæreticorum tantum, inquit Henno Tract. de virtutibus disp. 4. q. 3. Conc. 2. *Non amittuntur pænæ Ecclesiasticæ, quia de internis non iudicat Ecclesia; & ideo potest Hæreticus in mentalis, utpote excommunicationis vinculo non ligatus, absolvi a quolibet Confessario approbato.* Quando ergo excommunicantur aliter credentes, docentes, aut prædicantes, per docentes, aut

Theol. Billuarr. Pars Secunda.

prædicantes intelliguntur Auctores & fautores hæreses; per credentes, ii, qui illis assentiuntur, assensu tamen exterius manifestato: & ita intelligere debent adversarii, nisi pugnantia loqui vellent.

Observandum insuper, hoc vocabulum *anathema*, quo sæpe utuntur Jura, non semper significare censuram Ecclesiasticam. Anathema enim propriè idem est, ac execratio & detestatio. Unde, cum Apost. 1. Cor. 16. & Galat. 1. dicit alicui anathema, non ideo ipsum excommunicat, sed detestabilem ostendit: quando ergo Jura simpliciter dicunt de aliquo, *anathema sit*, non sequitur, quod semper eo excommunicent, seu quod declarent & ostendant ipsum execrabilem & detestabilem utique hæreticum; quasi dicerent, sit execrabilis & detestabilis. Ità ipse Sylvius in presenti questione nobis adversarius intelligit anathemata Concilii Toletani.

Inst. 2. Ecclesia punit privatione fructuum beneficii illum, qui suscipit beneficium parochiale absquè intentione suscipiendi Sacerdotium intra annum. Item obligat Subdiaconum ad votum castitatis, quod est quid purè internum. Item prohibet voluntatem internam non jejunandi, non audiendi Missam: ergo. R. Ad 1. N. An. Non est enim ibi punitio, sed non acquisitio domini defectu conditionis requisitæ ab Ecclesia. Potest enim Ecclesia sub conditione actus interni conferri id, cuius habet liberam dispositionem absquè eo, quod habeat potestatem in ipsum actum internum. Sic possum dare nummum pauperi sub expressa conditione, quod ore mentaliter pro me, quam conditionem si non adimpleat, non acquirat dominium nummi, & illum tenetur mihi restituere; & tamen nullam potestatem habeo in ejus actus interiores. Sic ergo Ecclesia non intendit conferre beneficium parochiale nondum Sacerdoti, nisi habeat intentionem suscipiendi Sacerdotium intra annum; quam si non habeat, non facit fructus suos, & Jure nature tenetur illos restituere.

Ad 2. R. pariter, Ecclesiam ex potestate legislativa non obligare Subdiaconum ad votum castitatis independenter ab ejus voluntate, sed requirere tantum hoc votum tanquam conditionem ad suscipiendum licitè Subdiaconatum, quod fieri potest sine potestate in actus internos. Sicut, si prohiberem Joannem tui meo equo, nisi elicias actum internum fidei, sine tali conditione illicite utitur meo equo, & tamen non habeo potestatem in actus ejus internos.

Ad 3. R. Quod Ecclesia præcipiendo auditionem Sacri prohibeat ejus omissionem; & sicut præcipiendo auditionem Sacri præcipit indirectè voluntatem audiendi Sacrum, utpote per se connexam cum auditione externa Sacri, ita prohibendo omissionem externam Sacri prohibet indirectè voluntatem omitendi, per se pariter connexam cum omissione externa. Et hoc est, quod dicimus in 2. Conclusionem.

Inst. 3. multipliciter: 1. Ecclesia dispensat in votis etiam merè internis. 2. Potest aliquem inhabilitare ad vota interna. 3. Confessarius potest imponere Poenitentem pro satisfactione orationem mentalem, actus interiores fidei, amoris, &c. 4. Poenitens tenetur confiteri peccata purè interna. 5. Ecclesia potest sibi reservare peccata etiam merè interna: ergo. R. N. Conseq. Ad 1. disparitas est: quod lex sit actus jurisdictionis coactivæ, & dispensatio actus voluntarie jurisdictionis, cui quis spontè se submittit; unde non est mirum, quod se extendat ad actus internos. 2. Dispensatio non tam versatur circa externam gubernationem sicut lex, quam circa bonum particulare & quietem interiore dispensati; unde magis spectat forum internum Dei ad hominem, quam externum hominis ad hominem. Insuper constat ex conditione, potestatem dispensandi in internis esse concessam Ecclesie, non legislativam. Ad 2. R. Pariter non requirit potestatem coactivam sicut ad legem, & magis pertinere ad forum internum, quam externum. Ad 3. Item forum poenitentiae non est forum externum & humanum, in quo Confessarius non agit ut homo, sed ut Deus, & de quo hic non agit. Ad 4. Poenitens tenetur confiteri peccata interna vi præcepti & institutionis Christi, cujus Ecclesia dumtaxat determinat tempus. Adde, neque Ecclesiam in ea exercere suam potestatem, nisi exterius manifestentur per confessionem. Ad 5. Reservare peccata interna non est exercere potestatem legislativam in illa, sed est non concedere omnem suam potestatem ministro inferiori, quod potest quisquis habet plenum rei, seu potestatis seu dominium, sive sit superior, aut Legislator, sive non. Aliunde id spectat forum internum.

Obj. 3. Prælati Regulares possunt præcipere & prohibere suis subditis actus merè internos, puta orationem mentalem: ergo idem potest Ecclesia respectu fidelium. Respondent quidam, huiusmodi præceptis Prælatorum Regularium præcipi dumtaxat id, quod est externum in oratione, & pariter prohiberi externa illam impediencia, non verò actum internum. Sed. R. verosimilis cum aliis, concessio Ant. negando Conseq. Disparitas est, quod lex fundetur in jurisdictione, quæ solum

Bbb

da-

data est, quantum expedit ad bonum externum Communis, & exercetur independenti a voluntate subditorum. Præceptum autem Prælati Regularis fundatur in voluntate subditi, seu in ejus voto & promissione, qua se obstrinxit obsequere Superiori secundum talem, vel talem Regulam; quæ si præcipiat, aut consulerit actus internos, vel significet Prælatum posse eos præcipere, hoc etiam modo intelligendum est votum obedientiæ, quod Prælati possit illos præcipere, & subditi tenentur illi obedire. Sicut enim potest homo permittere absolute Deo actum internum, sic potest permittere conditionate, si superior præcipiat.

Inst. Quod potest Prælati Regularis erga suos subditos, potest Papa erga omnes fideles; atqui... ergo. Prob. Maj. Sicut Religiosi Religionem profitendo promittunt obedientiam Superioribus Religionis, sic Christiani Christianismum profitendo, Baptismumque suscipiendo, promittunt obedientiam Superioribus Ecclesie: ergo. R. N. Maj. Ad prob. N. Ant. Non enim in Baptismo emittitur votum speciale obedientiæ Superioribus Ecclesie, sicut Religiosi suis Superioribus; sed abrenuntiamus Diabolo, pompis, & operibus ejus, profitenturque Religionem Christianam, secundum quam tenemur obedire legitimis superioribus, tam civilibus, quam Ecclesiasticis, secundum latitudinem & intra limites sue potestatis, quæ se extendit tantum ad regimen externum. Unde, sicut inde non sequitur, quod Princeps secularis possit præcipere suis subditis orationem mentalem, ita nec quod Papa possit illam præcipere fidelibus. Et sane, si valeret hoc argumentum, quod vix sine fidei legi in aliquo recenti Scriptore, sequeretur, quod Papa posset compellere omnes fideles ad continentiam, ad paupertatem, & ad omnes observantias regulares, sique efficere omnes Monachos & Moniales.

Obj. ultimo propositiones sequentes Molinos damnatas ab Innocentio XI. *Præpositis obedientium est in exterioribus, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantum ad exteriora pertingit. Ritu digna est nova quaedam Doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo... quia Ecclesia non judicat de occultis*: ergo. R. utraque propositionem esse merito damnatam & damnandam in nostra sententia. Quantum ad 1. patet ex præcedenti responsione. Quantum ad 2. potest intelligi dupliciter: 1. Quod sic Ecclesie Doctrina, animam quoad internum debere gubernari ab Episcopo: & hoc sensu damnata non nocet nobis, sed potius favor. 2. Quod anima quoad internum non debeat gubernari ab Ecclesia: & hoc sensu falsa est propter suam universalitatem, quia anima potest & debet gubernari ab Ecclesia quoad internum connexionem cum externo.

ARTICULUS II.

Quomodo debeat poni opus præceptum, ut Legi satisfiat?

Hanc questionem hic propono propter aliquam ejus affinitatem cum præcedente: de ea agit Auctor infra q. 100. art. 9. & 10. ubi querit, utrum modus virtutis cadat sub præcepto legis? Dupliciter ergo potest considerari opus lege præceptum, scilicet quoad substantiam & quoad modum. Modus autem est, quod fiat. 1. scienter & voluntarie. 2. Quod fiat bona vel mala intentione. 3. Quod fiat ex habitu virtutis. 4. Quod fiat ex charitate.

Dico 1. (*Hic q. 100. art. 9. o.*) Ad legem implendam opus præceptum debet fieri scienter & voluntarie. Patet ex Art. præced. quia lex præcipit actum humanum, præcipit enim hominibus, ideoque ut agant more humano, non more brutorum: actus autem non est humanus, nisi fiat scienter & voluntarie. Hinc inferes, eum, qui dormiens, aut ebrius recitat Horas, audit Missam, &c. non satisfacere legi, sed teneri post somnum, aut ebrietatem, iterum Horas recitare, & aliam Missam audire.

Dices 1. Qui tota die dormiens non manducat, adimplet legem jejunii: similiter ille, cui per vim auferuntur cibi. 2. Si debitori nolenti solvere creditor auferat pecunias ut decimas, debitor manet liber ab ulteriori solutione: similiter, si dives mentis imposit det eleemosynam extremè indigentibus: ergo. R. Ad 1. Conclusionem esse de lege præcipiente opus, non prohibente, quales est lex jejunii prohibens plures refectioes. Insuper, N. hunc proprie adimplere legem; eam equidem non transgreditur, sed plus requiritur ad legis impletionem, quam ad non transgressionem: ad hanc sufficit nihil agere quocumque modo contra illam; ad adimplerem autem requiritur actus humanus. Unde pueri & amentes non transgreduntur legem, eam tamen non implent. Quantum ad eum, cui per vim subtrahuntur cibi, est coram Deo reus violati jejunii ob voluntatem legi contrariam; neque illo modo dicendus est implere legem ex hoc, quod non ponat opus prohibendum a lege; quod

enim quis invitus, aut coactus facit, censetur non facere: eximeretur tamen a censura, si quæ lata esset in non jejunantes, quia censura solet ferri in opus externum dumtaxat. Ad 2. R. causam, cur iste sit liber ab onere solutionis, non esse, quod legi, cui erat obligatus, proprie satisfecerit; sed quia subtracta est materia præcepti, ex qua illi nascebatur obligatio; jam enim non habet amplius vel rem alienam restituendam, vel decimas solvendas, & necessitas pauperis est sublata.

Dico 2. (*Ibid. & art. 10. o.*) Ad legis adimplerem non requiritur, quod opus præceptum fiat ex habitu virtutis, aut ex charitate. Ratio 1. parit est: (*Ibid. art. 9.*) quia nemo punitur tanquam legis transgressor, qui rem alienam restituit, aut parentes honorat, quamvis id non faciat ex habitu justitiæ, vel pietatis. 2. Quia operari ex habitu virtutis est finis legis; ad hoc enim opera præcepta per legem ordinantur, ut homines fiant virtuosus: finis autem legis non cadit sub lege, ut modo dicam: ergo.

Dices: illud maxime cadit sub præcepto legis, quod est de intentione Legislatoris; sed intentio Legislatoris ad hoc fertur principaliter, ut homines faciat virtuosos: ergo. R. (*Ibid. ad 2.*) Quod intentio Legislatoris est de duobus, de uno quidem, non quod intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum leges inducere, & hoc est virtus, quæ est finis legis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre, & hoc est, quod tanquam medium inducit, vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis. Non enim idem est finis præcepti, & id, de quo præceptum fertur: sicut neque in aliis rebus idem est finis & medium ad finem. Ex qua Auctoris doctrina patet veritas hujus axiomatis: *Finis præcepti non cadit sub præcepto*. Secundæ ergo intentioni Legislatoris oportet satisfieri, ut lex impleatur, non primæ.

Ratio 2. parit est (*Ibid. art. 16. o.*); quia præceptum charitatis est affirmativum, quod non obligat pro semper.

Hinc inferes 1. Legem humanam posse adimpleri per opus ex objecto bonum, quamvis mala circumstantia vitiatum. Quia lex humana, ut dicitur est, præcipit tantum opus humanum, quod vel ex se, vel ex ipsa lege est bonum, non autem ejus modum, seu finem, nec alias circumstantias ipsi extrinsecas; id est, præcipit opus de se directivum ad virtutem, non actu dirigens. Unde, qui jejunat, ut parcat sumptibus, aut ex vana gloria, satisficit præcepto legis humanæ: dico: humane; quia lex naturalis præcipit bonum esse benè faciendum. Inferes 2. Legem impleri ab eo, qui non habet intentionem satisfaciendi præcepto: ut si quis ignorans, aut non recordatus esse diem festum, audit Missam ex devotione, satisficit præcepto, nec tenetur audire alteram Missam; quia lex, ut patet ex dictis, præcipit tantum opus humano modo ponendum, non reflexam obediendi intentionem, præsertim cum sit quid purè internum. Neque enim necesse est, ut qui obedit, dicat reflexè & in actu signato, volo obedire; sed sufficit, quod opus præceptum ponat. Si dicas, neminem satisfacere legi, nisi velit. R. D. Nisi velit ponere actum præceptum, C. Nisi velit satisfacere in actu signato & reflexo, N. Quia ponendo opus præceptum satisficit.

In huncquæ dictis consentiunt Theologi; sed utrum, si ponendo opus præceptum positivè nollet per illud legi satisfacere, illi satisfacere? Disputatur utrumque probabiliter. Pro quo

Dico 3. Probabilius videtur, eum satisfacere legi, qui ponit debito modo opus præceptum, quamvis positivè nollet per illud satisfacere, nisi forte ipsa obedientia præciperetur. Ratio est; quia, cum obligatio legis pendeat ex voluntate Legislatoris & non subditi, non potest subditus prorogare hanc obligationem, aut impedire, quominus lex impleatur eo opere, quo Legislator vult impleri; atqui Legislator præcipit dumtaxat opus præceptum quoad substantiam, v. gr. jejunium, auditio nem sacri, &c. eo præstito, quidquid dicas, aut vellis, satisfic legi, & extinguitur ejus obligatio. Confirmatur: Cum positiva intentione non satisfaciendi legi habetur finis & effectus legis perinde ac si adesset intentio satisfaciendi: sic, quod Petrus audiatur devotè Missam, nonvens per illam satisfacere præcepto, sed per aliam, non minus conducit ad finem legis, vel Legislatoris, quam si audiret cum intentione satisfaciendi, opus enim præceptum, non ex intentione satisfaciendi, sed ex se habet, quod conducit ad finem legis: ergo.

Si dicas, tunc non haberi meritum obedientiæ. Esto, neque illud intendit Legislator, sed tantum actum præceptum; cuius apertum signum est, quod neque illum præciperet, si certò sciret ab omnibus absque lege esse ponendum. Et hinc, proprie oppositam rationem, si præciperet obedientiam, teneretur subditus velle obedire, sicut dum præcipitur auditio Missæ, debet velle illam audire, quia in eo casu obedientia esset opus præceptum sicut ipsa auditio Missæ; & ideo dixi in conclusionem: *Nisi ipsa obedientia præciperetur*.

Obj.

Obj. Qui voto tenetur, v. gr. audire Missam, non illi satisficit, si positivè intendat per eam Missam, quam audit, non satisfacere, & tenetur aliam audire. Item, qui debet quinquaginta florenas, debito non exsolviatur, si eos dando creditori significet se dare gratis, & non solvere debitum: ergo similiter in observantia legis. R. N. Conseq. Disparitas est, quod tam obligatio voti, quam debiti propria voluntate contracti, sicut a mea voluntate primò provenit, sic a mea voluntate pendet, ut permaneat, & sicut ab initio me voluntarie constituti debitorum, ita possum ad nutum in eadem obligatione permanere. At obligatio legis est a voluntate Legislatoris, & ideo non potest ultra ejus intentionem extendi. Quapropter, cum solum præcipiat, quod opus humano modo ponatur, hoc posito, velim nolim, extinguitur legis obligatio. Insuper, si in debito strictè justitiæ donatio gratuita computaretur in solutionem, aut restitutionem, indebitè gravaretur creditor, cum per donationem gratuitam contraheret debitum gratuitatis erga debitorem donantem.

Inst. 1. cum P. Henno. Causa, cur remaneat obligatio in voto, vel debito, non est, quia debitor vult quod perseveret, sed quia dat gratis; atqui paritèr dat gratis actum lege præceptum: ergo. Prob. Maj. Quia potest dare quinquaginta florenas non reflectens ad debitum, quo casu remanet adhuc debitum; & tamen non vult quod perseveret, si quidem ad illud non reflectat: ergo. R. 1. retorquendo argumentum. Qui non reflectens ad legem audit Missam, satisficit legi, nec remanet ejus obligatio juxta obedienciam, & alios adversarios: ergo manifestum est, quod non sit eadem ratio legis, & debiti strictè justitiæ. R. 2. N. Maj. ad Prob. D. Ant. Quo casu non vult explicitè, quod perseveret debitum, C. Non vult implicitè, N. Hoc ipso enim, quod dat gratis, vult implicitè permanere debitum, quod ab ejus voluntate pendet; sed qui ponit opus lege præscriptum, sive gratis ponat, sive ut debitum, non pendet ab ejus voluntate, ut permaneat obligatio legis, sed a voluntate Legislatoris, qui nihil aliud præcipit, quam opus humanum, & non formaliter ut debitum. Insuper debitor non potest dono gratuito velle solvi debito; quia, ut dixi, indebitè gravaretur creditore, qui vult sibi satisfieri per solutionem, & non per donationem, ideoque non relaxat debitum. At, quovis modo ponatur opus lege præscriptum, non gravatur Legislator, quippe qui non sibi seu pro se præcipit, sed in bonum subditorum.

Quidam non immerito hic distinguunt inter debitum ortum ex titulo oneroso, puta emptione, venditione, commutatione, furto, &c. & debitum ortum ex titulo liberali, puta voto, aut promissione gratuita: quod si quis immoretur voti, aut promissionis gratuite donet, aut faciat rem promissam, obligatione solvatur; quia, licet memor promissionis vi illius opus ageret, semper esset quodam modo gratuitum, quia tale fuit in sua origine, nec ulla foret injuria recipienti, censeturque præsumpta intentio donantis per hoc satisfacere obligationi suæ promissionis. Secus dicendum de obligatione orta ex titulo oneroso propter rationes oppositas. Excipit tamen Layman obligationem restituendi per eleemosynas, quas aliquis, v. gr. Canonicus, immemor suæ obligationis liberaliter distribueret, quia videtur esse virtualis intentio tantum eleemosynas satisfaciendi per illas omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt.

Inst. 2. Juxta L. *Non omnis ff. si certa petatur*, actus agentium non operantur ultra eorum intentionem: ergo. R. hanc regulam valere in his, quæ pendet ab intentione agentium: hoc ipso autem quo agens ponit voluntarie opus lege præscriptum, non pendet ab ejus intentione, ut ei satisficiat, vel non.

Inferes: ergo, qui audit Sacrum ex voto, vel præcepto Confessarii, satisficit simul præcepto Ecclesie; quod communiter non admittitur. R. N. Illationem: quia tam votens, quam Confessarius communiter intendunt obligare ad Sacrum distinctum ab illo, quod lege Ecclesie præcipitur. Unde votens, aut penitens, cum per primum satisfecerit præcepto Ecclesie, tenetur secundum audire, ut satisficiat voto, vel præcepto Confessarii.

Sed, si quis vovisset audire primum Sacrum in die festo? Respondent quidam nihilominus per primum satisfacere præcepto Ecclesie; quia primum est: per secundum satisfieri voto; quia audiens vult satisfacere obligationi remanenti, qualiscumque sit. Respondent alii, per primum satisfieri voto, per secundum præcepto Ecclesie; quia Ecclesia censetur præcipere non jam aliunde strictè debitum. Quidquid dixeris, nihil nocet nostre conclusioni.

Repones: qui ex præcepto Confessarii tenetur audire Sacrum, debet habere intentionem satisfaciendi: ergo similiter, qui audit Missam ex præcepto Ecclesie. R. 1. hoc argumentum nimis probare; ex eo enim sequitur, quod, qui immo-

Theol. Billuati. Pars Secunda.

mor præcepti Ecclesie de audienda Missa, illam ex devotione audiet, non satisficeret, quia non haberet intentionem satisfaciendi; quod tamen negant nobiscum adversarii. R. 2. N. Conseq. Disparitas est, quod peccatus tenetur complere Sacramentum per satisfactionem inquantum a Confessario: auditio autem Missæ secundum substantiam, licet sit satisfactoria, non est tamen pars, & complementum Sacramenti (sicut ablutio secundum se non est pars Baptismi) sed ut inquantum a Confessario: debet ergo poni ut ab illo inuncta, ideoque cum intentione satisfaciendi ejus præcepto: hæc autem ratio non currit in præcepto Ecclesie.

Hinc inferes pro scrupulosis, dum in recitatione Horarum involuntarie distracti habent eas pro non recitatis, intendentes iterum recitare, & satisfacere, quod sæpe contingit, eos satisfacisse, nec teneri repetere; & sic de pluribus aliis similibus casibus.

Si verò ponatur casus, quo quis præstando opus præceptum positivè nollet per illud, nec per aliud subsequens, legi satisfacere, is quidem in effectu implet legem, puta de audienda Missa, nec aliam audire tenetur; siquidem opus præceptum secundum substantiam præstitit, & sua voluntate contraria non potuit efficere, ut præceptum revera, & in effectu impletum non sit. Attamen affectu peccat mortaliter peccato commissionis, nimirum formalis inobedienciæ, & contemptus legis, tum contra legem naturalem, & divinam prohibentem nollet justis legibus obedire; tum etiam contra ipsam legem humanam, quæ cum præcipiat actum, & voluntatem actus, consequenter prohibet affectum, & voluntatem omittendi; sicut qui post legem adimpletam dolet se eam adimpluisse.

ARTICULUS III.

Utrum Leges humane obligent in Conscientia?

Questio est de legibus justis; injustæ enim non sunt vere leges. Quapropter operæ pretium est discernere, quæ leges sint justæ, quæ injustæ. Pro quo nota accurate, leges posse esse injustas ex duplici capite; (*Hic quart. 96. art. 4. o.*) 1. si contrariantur bono divino, ut si præcipiunt, quod est per se malum, aut prohibeant, quod est per se bonum, quales erant leges Tyrannorum, quæ compellabant ad idololatriam; 2. si contrariantur bono humano; & hoc tripliciter: 1. Ex fine, sicut cum aliquis Præsidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam. 2. Ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam auctoritatem. 3. Ex forma, ut si, dum propter bonum commune onera imponuntur subditis, non distribuantur juxta proportionem virium, & facultatum, quas habent subditi. Item dicendum, si in premiis, & honoribus distribuendis non servetur proportio. Universim igitur quatuor requiruntur, ut lex sit justa: Primum ex parte materiæ, secundum ex parte finis, tertium ex parte Auctoris, quartum ex parte formæ; quorum si unum desit, non est lex justa, nec obligatio in conscientia illi obediendi. Hæc si bene perpendis, inquit Cajetanus, & ad leges particulares opportune appliceris, multos casus conscientiæ in gabellis, & aliis publicis oneribus clarificabis.

Est tamen hoc discrimen notandum, (*Ibid.*) quod legibus injustis ex parte materiæ, quæ nempe vel præcipiunt, quod est per se malum, aut prohibent, quod est per se bonum, nunquam liceat obedire; quia nunc currit illud Act. 4. *Obedite oportet Deo magis, quam hominibus*. Eis verò, quæ sunt injustæ ex aliis capitibus, licitum est quidem eis obedire; sed non est necesse, nisi forte ad vitandum scandalum, turbationem, aut aliquid majus detrimentum; quo tamen casu non ipsa lex injusta obligat, sed lex naturalis.

Dico (*Ibid.*) Omnis lex, tam civilis, quam Ecclesiastica, obligat in foro conscientiæ. Est de fide, solum quoad Leges Ecclesiasticas, definita in Conc. Constantiensis contra Wicleffum, & Jo. Hus Sess. 8. & 15. in Bulla Leonis X. contra Lutherum, & in Conc. Trid. Sess. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesie præceptis, quæ, vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur; anathema sit*. Huic errori favisse Gersonem, visum est non paucis; alii tamen benignè ejus mentem interpretantur. Prob. auctoritate Scripturæ: & 1. quantum ad Leges Ecclesiasticas Math. 16. Christus dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis*. Si in caelis ergo in Conscientia. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Nemo autem dubitat, quin reneamur in Conscientia audire Christum, & ipsam non spernare. Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus*. Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, &*

Bbbb 2

6. *subiacete eis.* Confer articulum 4. 1. Dissert. Concl. 2.

Quantum ad leges civiles: Paulus ad Rom. 13. *Omnia auctoritas sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo.* Itaque, qui resistit potestati, Dei offensam resistit; qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquirit. Ideo necessitate subdit estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; idem enim, & tributa prae statis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Quae ad ea aperta sunt, ut nulli Haereticorum effugio locus pateat. Item ad Tim. 3. 1. Petr. 2. & alibi. Et haec dicta sunt de Principibus Saecularibus etiam Ethnicis; ita ut etiam hi, quamvis non attendant ad forum Conscientiae, aut forte illud ignorent, si tamen veram legem condant, obligant in Conscientia. Prob. ex Patribus. Aug. Ep. 30. ad Bonifac. ubi postquam dixit, sicut is, qui renuit obedire legibus Imperatorum, quae contra Dei veritatem feruntur, ut tres pueri coniecti in fornacem, magnum acquirat praemium, subdit: *Ita quicumque Legibus Imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.* Idque probat sicut Apostolus; quia Principes Saeculares, qui ferunt leges iustas, in hoc deserviunt Deo ad bonum promovendum, & malum removendum. S. Bernard. Libr. de precept. & dispens. c. 12. *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, parè obsequendum est cura, ubi tamen Deo contraria non praecipit homo.*

Prob. ratione multiplici. 1. Lex (*Ibid.*) humana tam civilis, quam Ecclesiastica, derivatur ab aeterna, a qua habet suam vim, & vigorem, juxta illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores iusta decernunt:* & ut explicuit Diss. 2. art. 1. §. 2.; atqui Lex aeterna obligat in conscientia: ergo. 2. Lex naturalis, & Lex divina non omnia, quae sunt utilia, aut etiam necessaria ad rectè vivendum, attendit praesenti hominum conditione, determinat, sed multa pro diversis locorum, temporum, personarum, atque rerum circumstantiis determinanda relinquunt: ergo oportet esse quandam humanam potestatem, quae ea determinet, & cui homines sicut aeternae legi, quam determinat, obtemperant. 3. Lex naturalis atque recta ratio jubet, ut iustis legitimorum Superiorum mandatis, propter bonum commune latè, obtemperemus: ergo tenemur in Conscientia illis obedire. Confirmatur: Praeceptum patris in liberos, heri in famulos, obligat in Conscientia, ut docet Apost. Ephes. 6. ergo praecceptum Principis in subditos. Jure itaque Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortalibus poenitentibus, si absit contemptus.* Et Alexander VII. sequentem: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult se subijcere praeccepto.*

Solvuntur objectiones.

PLura, quae solent ab Haereticis objici ex Scriptura, soluta habes Dissert. 1. art. 4. Concl. 2. Insuper
Obj. 1. Christus abrogavit Legem Mosaicam ob multipliciter praecceptorum eius; atqui plura, & difficiliora continentur in Jure Canonico: ergo. Item servare mandata sufficit ad salutem, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo. R. Ad 1. N. Maj. Dato enim, quod Christus abrogando Legem Mosaicam respectit ad praecceptorum eius multitudinem, & difficultatem, non tamen hac de causa eam abrogavit; sed quia 1. translato Sacerdotio, debebat fieri translatio Legis. Hebr. 7. 2. Quia Lex vetus erat imperfecta, & insufficientis ad justificationem. 3. Quia erat umbra & figura, quae debebat desinere, adveniente veritate. Insuper, N. Min. Leges enim Ecclesiasticae, quae universaliter spectant omnes Christianos paucae sunt: praeter eas enim, quae sunt de festis, jejniis, Confessione annua, & Communione Paschali, aliae ferè omnes spectant aliquos particulares status, ut Clericos, Monachos, Judices, &c. Item, & facillora praecipiant, quam in veteri lege, & facillora admittunt mutationem, vel dispensationem. Ad 2. N. Conseq. Quia inter mandata unum est, quod sit obediendum superioribus.

Obj. 2. ex Patribus. S. Aug. Ep. ad Januarium 119. c. 19. dicit, reseranda esse statuta hominum, quae sic Religionem servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum. Serm. 6. de verbis Domini c. 18. alloquens Imperatorem aliquem jubentem: *Tu, inquit, carcerem; ille (scilicet Deus) gehennam minatur.* Et l. 22. contr. Faustam c. 27. definit peccatum per solam oppositionem ad Legem aeternam: ergo. Chrysostomus l. 2. de Sacerdotio dicit, quod homo non possit curare hominem ea auctoritate, qua Pastor curat oves. Pastor enim potest oves vincire, accere, urere, secare; homo autem suadere tantum. Bernardus l. 1. de consid. c. 6. 516-

tisse Apostolos judicandos, inquit, sed esse judicantes non lego: ergo.

R. ad 1. ex Aug. ipsum non loqui de legibus legitima auctoritate institutis, sed de quibusdam vanis observantis, & ritibus, quos plebei introduxerant, & quos divinis praecceptis neglectis, scrupulose observabant, ut patet ex contextu. Ad 2. loquitur S. Doctor (2. 2. quest. 147. art. 3. ad 3.) de legibus divinae legi repugnantibus, patet iterum legenti textum. Ad 3. R. quod, qui agit contra legem humanam, agit mediate contra legem aeternam, quae jubet obediendum esse legibus superioribus. Ad Chrysostomum, R. ipsum tantum velle, quod Praelatus non possit interius sanare, & corrigere subditos invitos, sicut potest Pastor oves renitentes. Potest quidem Praelatus subditum protervum quoad exteriora continere, sed non poterit sui auctoritate malam ejus voluntatem mutare: hoc suavis opus est, magis quam auctoritatis. Videatur Chrysostomus in c. 18. Matth. & in c. 13. ad Rom. Ad S. Bernardum, R. ipsum loqui de judicio caesarum, & litium civilium, ut Eugenium Papam ab illis saecularibus occupationibus avocaret. Patet ex textu.

Obj. 3. a ratione. Inferior non potest ligare in foro superioris; atqui conscientia est forum superioris, scilicet Dei. ergo. R. D. Maj. Inferior non potest ligare in foro superioris, si non sit ejus Minister, nec ejus vices gerens, C. Secus, N. Tunc enim, qui potestati inferiori resistit, ordinationi superioris resistit. (*Hic quest. 96. art. 4. ad 1.*)

Inst. 1. Inferior, etiam superioris minister, non potest judicare, & punire in foro superioris; atqui ad legem requiritur potestas judicandi, & coercendi per poenam, ut superioris dictum est: ergo. R. D. Min. Ad legem requiritur potestas judicandi, & puniendi in proprio foro, C. In omni foro. N. Quamvis ergo Legislator humanus non possit judicare, & punire in foro conscientiae, quia illius judicium, & poenam sibi reservavit superior Deus, potest tamen ligare potestate sibi commissa a superiore, cujus vices gerit: sic Parentes per sua praeccepta ligant filios in foro conscientiae, quamvis in illo non possint judicare, & punire. Neque id obstat, quominus leges humanae sint verae leges, quia habent judicare, & punire in suo foro, quod sufficit.

Neque inde inferas, legem humanam non obligare vi propria, sed vi legis aeternae, quae dicitur sententia Gersonis. Quamvis enim lex humana habeat vim obligandi a lege aeterna tanquam a causa universali & remota, eam tamen habet ab auctoritate Legislatoris, tanquam a causa proxima, & particulari determinante universalem; effectus autem maxime tribuitur causae proximae, & particulari.

Inst. 2. Legislator humanus, saltem civilis, non potest solvere in foro conscientiae; ergo nec ligare. R. N. Conseq. Non enim omnis, qui potest ligare, potest solvere; quia Legislator supremus potest dare potestatem ad ligandum, & non ad solvendum: sic Parentes possunt ligare filios in foro conscientiae, in quo non possunt solvere: sic homines possunt se ligare per vota, & contractus, & tamen non possunt se solvere.

Inst. 3. Potestas Legislatoris civilis est merè temporalis: ergo non potest extendi ad forum conscientiae, quod est spirituale. R. D. Ant. Est merè temporalis quantum ad obiectum, C. Quantum ad obligationem ex illa ortam, N. Versatur ergo potestas civilis circa tranquillitatem publicam, & Republicae bonum commune promovendum; sed unusquisque tenetur sub peccato servare ea, quae ad hos fines sunt praeccepta: sicut filii tenentur obedire Parentibus in his, quae ad regimen familiae pertinent.

Inst. 4. Nulla potestas humana potest auferre ab homine gratiam sanctificantem: ergo nec obligare sub peccato, quo gratia destruitur. R. N. Conseq. Non enim Legislator auferit ab homine gratiam; sed ponit legem, ex cuius transgressione privatur gratia, qui illam liberè transgreditur.

Dices: Minima lex divina magis obligat, quam quaelibet humana; atqui minima lex divina obligat tantum sub veniali: ergo humana sub nullo. R. D. Maj. Minima lex divina magis, id est, firmitus, obligat, quam quaelibet lex humana, C. Maj. Magis, id est, sub majori peccato. N. Maj. & Conseq.

ARTICULUS IV.

De Lege poenali.

§. I. Utrum Lex poenalis obliget in conscientia?

NOta. Quaedam sunt leges purè praeciptivae, aut prohibitive; quaedam purè poenales; quaedam mixtae. Lex purè praeciptiva, aut prohibitiva est, quae actum praecipit, aut prohibet, nullam imponendo transgressoribus poenam, ut lex de

audienda Missa. Lex purè poenalis est, quae statuit poenam in eos, qui aliquid fecerint, aut omiserint, nihil saltem explicitè praecipiendo, aut prohibendo, ut si lex dicat, qui exerit frumentum ex Provincia solvat centum. Mixta est, quae praecipit, aut prohibet actum, & simul statuit poenam transgressoribus: & hoc dupliciter, vel copulativè, ut si lex dicat: nemo evehat frumentum ex Provincia, & qui evehit solvat centum, quod potest etiam exprimi unica propositione sic: prohibeo ne quis evehat frumentum e Provincia sub poena solvendi centum: vel disjunctivè, ut si dicat: nullus evehat frumentum e Provincia; vel si exerit, solvat centum.

Suppono 1. tanquam certum ex art. precedenti, legem purè praeciptivam, aut prohibivam obligare in conscientia. Suppono 2. tanquam pariter certum, legem copulativè mixtam obligare sub culpa ad actum ponendum, vel omittendum; quia verè praecipit, aut prohibet, neque poena apponitur, ut obligationem tollat, sed potius ut corroboret, & efficacius moveat ab observatione. Unde, ut dicemus infra, ex gravitate poenae colligitur gravis obligatio legis, quia poena non infigitur nisi propter culpam, & ei proportionatur. Multum igitur aberrant illi de vulgo, qui, dum leges in quibus poena est praeciptivè adjecta, transgrediuntur, ab omni culpa se liberos putant; modo, si deprehensi sint parati subire poenam, quam etiam dum casu, aut industria declinaverunt, se existimant fortunatè evasisse. Suppono 3. ut certum, legem mixtam disjunctivè non obligare determinatè ad actum ponendum, vel omittendum, neque determinatè ad poenam subeundam, sed ad alterutrum; ita ut, qui non vult legem implere, sed paratus sit subire poenam, sit liber a culpa; qui autem nec vult legem observare, nec poenam subire, peccat, quia lex sub disjunctione posita relinquit voluntati subditorem, quam voluerit partem amplecti. Paritas est in eo, qui disjunctivè vovet se non amplius iusurum, vel si ludat, se viginti asses daturum pauperibus, non peccat si ludat; peccaret, si ludens non daret viginti asses.

Ad huiusmodi leges possunt quodam modo revocari variarum Religionum Constitutiones, ut Ordinis Praedicatorum, quae non obligant ad culpam, sed ad poenam tantum; & eadem sunt leges, quatenus obligant ad poenam. Unde per se loquendo, non peccat, qui silentium frangit in Ordine praedicto; peccaret tamen si renueret poenam a Constitutionibus, vel a superiore inflictam. Quod si nulla esset obligatio, neque ad actum, neque ad poenam, non foret propriè lex, de cuius ratione est, quod obliget; sed foret salutare monitum, aut exortatio, vel consilium de eo, quod expediret in communitate.

In his satis conveniunt Theologi, nisi quod quidam novè poenam in lege mixta disjunctivè vocari poenam, sed potius esse vocandum mulctam, incommodum, gravamen, seu compensationem; quia iniqui, poena propriè dicta supponit culpam, juxta illud Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 18. *Omnis poena si iusta est, peccati poena est, & supplicium nominatur.* Alii putant, posse vocari poenam; quia, licet non adsit culpa theologica coram Deo, est, inquit, culpa politica coram hominibus. Sed quidquid dixeris, levis est questio de nomine.

Superset ergo difficultas aliqua de lege, quae dicitur purè poenalis, in qua scilicet nulla fit mentio praecipti, aut prohibitionis actus, sed solius poenae, ut si dicat: qui exerit frumentum extra Provinciam, solvat centum; utrum obliget sub culpa ad actum ponendum, vel omittendum; an solum ad poenam subeundam. Utraque pars probabiliter defenditur.

Dico: Probabilis videtur, & certè tutius, legem, quae dicitur purè poenalis per se loquendo obligare non solum ad poenam, sed etiam ad ponendum, vel omittendum actum, pro quo poena imponitur. Ita Sylvester, Soto, Medina, Azor, Wiggers, Sylvius, & alii communiter contra plures. Ratio est; quia secundum communem intellectum, & communem modum loquendi, qui dicit: *Qui hoc fecerit, capite pluetur*, perinde est ac si diceret, prohibeo, ne id fiat; & qui fecerit, capite pluetur; unde implicitè prohibet, aut praecipit, licet non explicitè; non enim tantam poenam imponit, nisi quia vult ita fieri, vel non fieri: voluntas autem superioris sic intimata habet vim legis, & praecipti.

Dices: 1. Cap. *Nome* de praesumptionibus dicitur, quod, qui de duobus unum negat, alterum tacendo concedat: ergo a contrario sensu, qui de duobus unum exprimit, aliud tacendo excludit. 2. Lex huiusmodi nihil praecipit, aut prohibet, sed poenam tantum statuit; non potest autem Legislator obligare subditos sub culpa ad obediendum, nisi aliquid praecipiat, aut prohibeat. R. ad 1. verum esse istud principium Juris, quando ex circumstantiis non potest colligi mens contraria tacentis. Hic autem ex hoc, quod Legislator imponat gravem poenam, si aliquid fiat, colligitur ipsum prohibere, ne fiat. Ad 2. R. In huiusmodi lege Legislatorem praecipere, aut prohibere implicitè, ut dictum est.

nam, si aliquid fiat, colligitur ipsum prohibere, ne fiat. Ad 2. R. In huiusmodi lege Legislatorem praecipere, aut prohibere implicitè, ut dictum est.

Dixi: *per se loquendo*; quia, si Legislator declararet se non velle obligare sub culpa ad actum ponendum, vel omittendum, sed tantum ad poenam, ut declaratur in Prologo Constitutionum nostrarum, & in Constitutionibus quorundam aliorum Ordinum, lex non obligaret nisi ad poenam: similiter, si ex circumstantiis posset colligi hanc esse mentem Legislatoris, aut si mores populi, & consuetudo apud timoratos recepta sic legem intelligant, & recipiant; ut enim communiter dicitur; consuetudo est optima legis interpret. Haecque modificatio potest etiam habere locum in legibus mixtis copulativè, in quibus, sicut ex consuetudine potest tolli obligatio ad culpam, & ad poenam, a fortiori, relicta poena, potest auferri culpa. Haec autem leges, ut iam notavi, non sunt propriè leges, nisi ea parte qua obligant ad poenam sub culpa. Vide, quae dixi de legibus circa invectionem, aut eversionem mercium, vulgo *contrehundes*, in Tract. de Justitia Dissert. 9. art. 7. §. 2.

§. II. Utrum Lex poenalis obliget ad poenam subeundam ante sententiam Judicis.

NOta. Poenae, legibus contentae, aliae sunt ferendae, aliae latae: ferendae, cum lex comminatur tantum poenam, dicendo simpliciter: prohibemus sub poena excommunicacionis, vel qui fecerit, excommunicabitur, aut excommunicetur, privabitur, aut privetur voce activa vel passiva, &c. Latae, dum praemis jungitur ipso facto, ipso jure, ut prohibemus sub poena excommunicacionis ipso facto incurrenda, vel sit ipso facto excommunicatus. Cum autem dubitatur, an lex sit lata, vel ferendae sententiae, potest intelligi de sententia ferenda, & non lata; quia, ut fert Regula Juris 49. *In poenis benignior est interpretatio facienda.* Item poenae aliae sunt privativae, quae consistunt in mera privatione alicujus rei, nec ullam requirunt actionem ad sui executionem, ut excommunicacio, privatio vocis activae & passivae, & similes. Aliae sunt activae, quae requirunt aliam actionem ad sui executionem, ut occisio, mutilatio, carcer exilium, spoliatio, seu erogatio bonorum, &c.

De poenis ferendis nulla est difficultas. Conveniunt omnes, neminem teneri ad illas subeundas ante sententiam Judicis; quia obligatio legis non extenditur ultra intentionem Legislatoris verbis legis conformem; verba autem huiusmodi legis non condemnant reum ad poenam, sed declarant, seu jubent condemnandum: ergo antequam condemnetur, non tenetur eam subire. Circa poenas latas triplex est sententia. Prima est Alphonsi a Castro, qui tenet omnes poenas latas, tam activas, quam privativas, esse subeundas ante sententiam Judicis. Secunda est Dominici Soto, qui id negat de omni poena lata, etiam privata, exceptis censuris Ecclesiasticis. Tertia est Cajetani, qui distinguens inter poenam activam, & privativam, concedit nullam activam esse subeundam ante sententiam Judicis, privativam esse subeundam. Pro cuius difficultatis resolutione

Dico 1. Nulla lex poenalis latae sententiae obligat in foro Conscientiae ad subeundam ante sententiam Judicis poenam activam, seu cuius executio requirit actionem. Prob. 1. ex Auctore dicente: (2. 2. quest. 61. art. 2.) *Quantum ad culpam adhibetur remedium per poenam, cuius inflictio pertinet ad Judicem: & tunc, antequam sit condemnatus per Judicem, non tenetur restituere plusquam acceptis, sed postquam est condemnatus, tenetur poenam solvere.*

Prob. 2. ex Jure. Leges humanae cap. *Vergentis* de Haereticis, & cap. *Cum secundum leges* eod. tit. in 6. decernunt ipso facto poenam confiscacionis omnium bonorum propter crimen Haeresos; atqui tamen non obligant ad hanc poenam subeundam ante sententiam Judicis, ut habetur locis citatis, & praesertim c. *Cum secundum leges*; est autem eadem ratio de aliis legibus: ergo. Prob. 3. ratione Cajetani in locum cit. S. Thom. Ad illud agere, seu ad actionem, quam requirit executio poenae, tenetur Reus, vel Judex; non reus, quia non tenetur ex lege nisi ad poenam; poena autem consistit in pati, non in agere: ergo tenetur Judex: ergo ante sententiam Judicis ad illam subeundam non tenetur reus. Confirmatur: Actio, quae requiritur ad poenam executionem, non est poena, sed inflictio poenae, alias Judex, aut ejus minister inferens poenam, poenam pateretur; atqui lex poenalis obligat solum reum ad poenam: ergo non obligat, ut eam sibi inferat. Prob. 4. Leges non debent esse a moribus hominum alienae, sed eorum conditioni, & fragilitati accommodatae, ita ut etiam qui non ita sunt perfectè virtuosus, possit illas ferre, ut diximus superius ex Auctore; atqui lex obligans, ut reus

sibi inferat poenam activam ante sententiam Judicis, non est accommodata hominum conditioni, & fragilitati, cum vix unum de mille reperias; qui id observet. Equus enim amabo, qui lege importante ipso facto poenam, non dico mortis, aut mutilationis, sed solam confiscationis bonorum, aut solutionis mille florenorum in poenam transvectionis quarundam mercium, aut alterius transgressionis; ultra se proderet, & sponte, ne minime cogente, se bonis spoliabit, aut mille florenos solvet ergo.

Dices: Multae leges obligant ad aliquid faciendum ante sententiam Judicis: ergo similiter ad exequendum in se aliquam poenam. R. N. Conseq. Quia lex poenalis, de qua hic est questio, respectu ad poenam obligat ad patiendum, & non agendum.

Queri licet posset, an saltem lex absolute posset obligare reum ad subeundam poenam activam ante sententiam Judicis? Negant quidam, propter rationes datas. Affirmant alii de poena moderata, si id sit necessarium bono communi: sed cum iste casus sit metaphysicus, non immoror.

Dico 1. Leges poenales latae sententiae possunt obligare ad subeundam poenam privativam ante sententiam Judicis. Paucae tamen obligant. Prob. 1. pars. Non est minor auctoritas Legislatoris, quam Judicis, si nihil obest; atqui iudex statim post sententiam latam obligat reum ad subeundam poenam privativam, neque aliquid obstat auctoritati Legislatoris, sicut obstat pro poena activa: ergo. Confirmatur: Leges imponentes ipso facto censuras Ecclesiasticas obligant statim a patratu crimine, & ante sententiam Judicis, ut omnes concedunt ergo.

Prob. 2. pars. Quia praeter censuras Ecclesiasticas, vix potest assignari ulla lex, tam Civilis, quam Ecclesiastica, etiam latae sententiae, quae obliget ad poenam privativam subeundam ante sententiam Judicis, sive quia consuetudo non aliter hujusmodi leges intelligit, nec recipit, sive quia iure vel communi, vel particulari in cautum est: sic in prologo Constitutionum Ordinis Praedicatorum statuitur: *Pauca tamen, absolutio- nis ab officio, privationis vocis activae, & passivae, gravius culpe, & aliis majoribus, quantumcumque tam in constitutionibus, quam extra, ipso facto sunt incurrendae, nisi sit poena excommunicationis latae sententiae, nullas subijcitur, nisi supererogatas declaratio Praelati respectu hujus; quantumcumque etiam notorium facti, vel juris, aut utriusque intererint.*

Imò sunt, inter quos Domin. Soto, qui non improbabili- ter tenent, leges poenales latae sententiae, non solum non obligare, sed nec posse obligare ad subeundas ante sententiam Judicis alias poenas privatas, quam Censuras Ecclesiasticas. Rationem disparitatis adfert Soto; quia, inquit, Censurae Ecclesiasticae privant homines bonis communibus, quorum Ecclesia est dispensatrix, & quas ideo potest inducere sine cognitione causae, & Judicis sententia; aliae vero poenae privant hominem bonis propriis, quae iure particulari possidet, sicutque has inducere non potest Legislator humanus absque cognitione causae, & Judicis sententia. Pro, & contra hanc rationem, vide, si libet, Serra hic quest. 96. art. 4.

Obj. 1. varias leges, quae videntur obligare ad poenam privativam ante sententiam Judicis. Talis est 1. lex obligans Episcopum ad restituendos fructus perceptos, si post tres menses consecrationem non recipiat. 2. Lex privans Beneficio parochiali eum, qui intra annum Sacerdotium non suscipit. 3. Lex privans fructibus Beneficii non recipientem Officium. 4. Lex inhabilitans ad matrimonium in poenam criminis, &c. R. His omnibus legibus non imponi poenas proprie dictas. Tres primae sunt tantum sententiae declaratoriae obligationis naturalis, qua illi tenentur restituere fructus quos non fecerunt suos, aut deserere Beneficium, quod non legitime possident propter defectum conditionis ab Ecclesia requisitae. Quarta inducit inhabilitatem ad matrimonium, non proprie ut poenam criminis patratu, sed ut impedimentum in cautelam futuri, ne homines spe matrimonii allecti irriterentur ad occidendum, aut ad adulterandum, quamvis inde per accidens, & materialiter puniatur crimen.

Obj. 2. contra eandem partem, & contra primam conclusionem. Si leges latae sententiae non obligent ad poenam, sive activam sive privativam, subeundam ante sententiam Judicis, falso, & frustra apponuntur haec clausulae *ipso facto, ipso iure*: ergo. R. N. utramque sequelam 1. Non falso, sensus enim hujus clausulae *ipso facto* est ipso facto per sententiam pro- ditto, & declarato. Sensus hujus *ipso iure* est ipsa legis dispositione, & non arbitrio Judicis. 2. Non frustra; quia istae leges habent aliquos effectus speciales, quos non habent leges ferendae sententiae. 1. Ad hoc, ut reus teneatur subire poenam latam, non requiritur sententia condemnativa ad poenam, ut in legibus sententiae ferendae, sed tantum sententia declarativa criminis. 3. Quia lex latae sententiae post sen-

tentiam declaratoriam retrotrahitur ad tempus commissi criminis, ita ut, si quis ob crimen sit ipso facto privatus fructibus Beneficii, adveniente declaratione Judicis, debeat restituere fructus etiam, quos a crimine patratu, & ante sententiam percepit, secus in legibus ferendae sententiae. Non diffiteor tamen, si lex ultra clausulas, *ipso facto, ipso iure*, adderet alias, quae omnino significarent hanc esse voluntatem Legislatoris, ut poenae privativae incurrantur, & subeantur ante sententiam Judicis, v. gr. si diceret: *absque ulla alia declaratione, ante omnem sententiam Judicis, teneri coram Deo, seu in conscientia, non posse contra absolvi, & similes*; probabilius esse, eas statim incurri, nisi certo constet de iure, aut consuetudine contraria. Sed nihilominus verum est, quod dixi, paucae esse hujusmodi, exceptis, censuris Ecclesiasticis.

Ceterum observandum est, quod etiam hi, qui censent omnes leges latae sententiae obligare ad poenam privativam ante sententiam Judicis, ut sunt leges, quae ipso facto privant bonis, aut beneficiis, velint quidem eas habere vim quoad privationem dominii, & proprietatis ante sententiam Judicis; non tamen quoad privationem possessionis, ita ut reus non teneatur deferre bona sua fisco, nec iis se spoliare, neque deserere beneficium, nisi interveniat sententia Judicis; quia, inquit, ad haec requiritur quaedam actio. Ex quo inferunt, acta Parochi, v. gr. in hoc casu esse adhuc valida, Ecclesia jurisdictionem conferente ob vitanda inconvenientia. In idem ferme quoad praxim coincidit cum nostra sententia. Observandum insuper, quod, quamvis Censurae Ecclesiae incurrantur ipso facto ante sententiam Judicis, nemo tamen teneatur exterius se gerere ut talem cum periculo infamiae, aut gravius nocentem. Unde occulte excommunicatus, aut irregularis non tenetur abstinere a celebratione Missae, et aliorum consortio; quia leges humanae non obligant cum tanto dispendio, ut dicemus infra.

Dico 3. Post sententiam Judicis tenetur in conscientia legis praevicator exequi poenam activam, quae requirit actionem commodius exercendam ab ipso reo, quam a iudice, vel ejus ministro; secus, si requirit actionem, quae commodius exercetur a iudice, vel ejus ministro. Ratio 1. partis est; quia reus tenetur parere iustis Judicis sententiae, dum nihil continet illicitum, aut ab humanis moribus alienum. Unde, qui exilio, aut poena pecuniaria mulctatur per iudicem, tenetur ire in exilium, & pecuniam solvere; potest tamen expectare donec petatur, quia licet posset damnari, ut etiam non petitam erogat, ordinari tamen non sic fit. Ratio 2. partis; quia sic intelligi debet mens Judicis, quae alioquin fore aliena ab humanis moribus, imò quandoque inhumana, & illicita. Unde, qui damnatus est ad poenam mortis, aut mutilationis, debet scandere scalas, praebere collum, aut manum, & similia; at non debet, nec potest se ipsum occidere, aut mutilare, nec venenum sumere, & similia. Confer, quae dixi in Tract. de Justitia, Dissert. 14. art. 4.

Queri licet posset, an ignorans poenam per legem impositam, eam incurrat legem transgrediendo? Sed huic quaestioni satisfacere in Tract. de Peccatis, Diss. 4. art. 7. require.

ARTICULUS V.

Quandom leges humanae obligant sub peccato mortali

Suppono 1. Leges humanas quandoque obligare sub peccato mortali, quandoque sub veniali. Obligare aliquando sub mortali, aperte indicat Apost. Rom. 13. dicens: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquiritur.* Et hic est sensus communis fidelium, qui se sub mortali obstrictos reputant legibus audiendi Missam, jejunandi, &c. Insuper gravis est obligatio solvendi grave debitum, quod summo iure exigitur: ergo gravis obligatio obediendi legi in materia gravi, quam urget strictè Legislator. Aliquando etiam obligare sub veniali, constat ex ipsa lege naturali, quae in pluribus non nisi sub veniali obligat, ut quae prohibet mendacium iocosum, verbum otiosum, furtum leve, &c. ergo a fortiori idem dicendum de lege humana. Suppono 2. falsam esse quorundam opinionem, qui censent neminem peccare mortaliter contra Legem humanam; nisi eam transgrediatu ex contemptu, aut cum scandalo. Patet 1. ex rationibus primae partis prioris suppositionis, quae probant legem humanam quandoque secundum se obligare sub mortali, & non tantum per accidens ex contemptu, aut ratione scandali. 2. Alias non magis obligarent sub mortali, quam consilia Evangelica, contra quae etiam peccator mortaliter, si quid agatur contra illa ex contemptu, aut cum scandalo. 3. Judices infligunt poenam mortis, & mutilationis transgressoribus Legum humanarum, non habita ratione contemptus, aut scandali: ergo censent, eas obligare graviter in-

dependentem a contemptu, vel scandalo. Hancque opinionem merito damnaverunt SS. Pontifices in duplici propositione relata Art. superiore.

Si opponas S. Bernardum lib. de praec. & dispens. dice- re: *Nulla est lethaliter criminalis inobedientia, templum nisi quae contemptum superbiae non evitat.* R. Bernardum loqui de Legibus regularibus, quae ordinariè non obligant sub culpa, aut non nisi sub veniali.

Dico: Ut Lex humana obliget sub morali, duo simul requiruntur, scilicet materia gravis, & in Legislatore intentio obligandi sub morali; ita ut, si materia sit levis, & Legislator intendat obligare sub morali: Lex non obligat sub morali: pariter, si materia sit gravis & Legislator intendat obligare tantum sub veniali, non obligat sub morali. Quando autem Legislator praecipit, aut prohibet materiam, secundum se, aut attentis circumstantiis gravem, non explicando aliter suam intentionem, Lex ordinariè obligat sub mortali. Prima & tertia pars hujus Conclusionis sunt communes & certae. Secunda controversatur. Quidam enim negant Legislatorem posse materiam gravem praecipere, aut prohibere sub veniali peccato tantum. Nostra tamen sententia est communior, quidquid dicat Ethica.

Prob. 1. pars 1. Lex humana derivatur a Lege aeterna, & naturali: ergo & vis ejus obligandi; atqui Lex aeterna & naturalis non obligat sub mortali in materia levi: ergo. 2. Obligare sub mortali in materia levi excedit potestatem humanam; tum quia potestas humana est limitata & proportionata capacitati materiae, res autem levis non est capax gravis obligationis; tum quia hujusmodi potestas neque est a Deo, cum id nullibi exprimitur, nec Deus ipse illa utatur, & secundum aliquos non posset uti; nec a populo; quem nullo modo est credibile concessisse Principibus potestatem eos sub peccato mortali obligandi in quacumque materia, etiam levisissima. 3. Lex humana, quae rem omnino levem praecipiet, aut prohiberet sub poena mortis temporalis, esset iniusta, ridicula, & noxia bono communi: ergo a fortiori, si praecipiat, aut prohibeat sub poena mortis aeternae.

Neque dicas, Deum prohibuisse Adae rem levem scilicet esum fructus vetuii sub peccato mortali: item quotidie Duce in Bello, Magistratus, Episcopos, Praelatos Regulares praecipere, aut prohibere sub mortali res leves, puta furtum leve, ingressum alicujus domus, consortium certe personae, &c. Haec enim & similia, quamvis secundum se levia sint, attentis tamen circumstantiis, & quatenus possunt graviter conducere ad finem gravis momenti, sunt gravia: sic esus fructus vetuii, secundum se levis, fuit a Deo prohibitus Adae sub peccato mortali; quia hanc abstinentiam requirebat Deus ab Adam in recognitionem suae ad Deum subjectionis, & in homagium supremum Domini divini in omnia creata, quibus circumstantiis erat quid grave. Similiter ingressus alicujus domus est secundum se quid leve, sed attendendo vel scandalum, vel periculum peccandi, vel bonam famam alicujus corporis servandam, potest esse quid grave; & sic de ceteris. Nostra autem Conclusio est de re, tam secundum se, quam secundum circumstantias, & ex omni parte levi.

Prob. 2. pars, de qua est major difficultas. 1. ex S. Bernardo, qui lib. de praec. & disp. cap. 10. dicit: *Majora, minoraque mandata dixerim, secundum quod majus minusve velle constitit ipsum, qui praecipit, sive hominem, sive Deum.* Prob. 2. ex S. Thom. (2. 2. q. 105. art. 2.) dicente, quod *Voluntas hominis non semper fertur in melius; & ideo ubi obligatur ex solo hominis praec. non est gravius peccatum ex eo, quod majus bonum praeteritur, sed ex eo quod praeteritur illud, quod est magis de intentione praecipientis*: ergo juxta S. Thom. quantitas obligationis in Legibus humanis repetenda est non ex gravitate rei praec. sed ex intentione praecipientis. Scio, Doct. Sylvium conari hunc locum variis interpretationibus emolliere in favorem sententiae contrariae, sed meo iudicio insufficienter. Loquatur S. Thom. de inobedientia materiali, aut de formali, ut vult Sylvius, sufficit, quod S. Doctor repetat quantitatem obligationis ex intentione praecipientis, & non ex quantitate materiae.

Prob. 3. ratio: Lex est actus Legislatoris, & obligatio effectus istius actus; atqui juxta principium communiter receptum L. Non omnis ff. Si certum petatur, in moralibus actus agentium non transcendunt intentionem eorum: ergo lex non obligat ultra intentionem Legislatoris; atqui Legislator non intendit in hac materia, etsi gravi, obligare nisi sub veniali: ergo.

Respondent Adversarii, istud principium esse verum in his, quae pendunt ex libera voluntate agentium: at, inquit, sicut obligatio simpliciter non pendet a libera voluntate Legislatoris veram Legem ferre volentis, sed sequitur ex natura ipsius Legis; sic quantitas obligationis non pendet ex ejus libera

voluntate, sed hoc ipso quo vult ferre Legem, quantitas obligationis ex natura rei & conditione materiae resultat. Hoc est praecipuum adversae sententiae fundamentum. Sed contra, & simul confirmatur praecedens ratio, & Conclusio. 1. Quamvis obligare simpliciter sit essentiale omni Legi, attamen obligare tantum, vel tantum non esse Legi essentiale; sed merè accidentale; nec contrarium unquam evincit Adversarii: ergo, quamvis non sit liberum Legislatore velle condere veram Legem, quae non obliget, est tamen illi liberum condere talem, quae plus, vel minus obliget, secundum quod voluerit. 2. Materia Legis humanae non est necessaria, sed libera, Legislator est liber, ut eam proponat, vel sub consilio, vel sub obligatione ad praec. tantum, ab ipso enim est tota Legis obligatio; quidni etiam liber, ut illam proponat sub obligatione ad culpam venialem: maxime cum nihil possit assignari, quod ipsum cogat implere totam capacitatem materiae. 3. Ecclesia prohibet sub veniali communicationem in Civilibus cum Excommunicatis, quam potius prohibere sub mortali: prohibet e contra sub mortali celebrare sine stola, quod potius prohibere sub veniali. Plurimum Religionum constitutiones obligant sub veniali in re gravi, v. gr. in jejunio Adventus: ergo liberum est prudenti Legislatore, prolix expedire judicaverit, obligare in re gravi sub culpa veniali, quae conscientias timoratas sufficienter continet & excitat, & gravius lapsus periculum non infert.

Respondet huic ultimae rationi Ethica: jejunium, etsi sit quid grave materialiter, non tamen formaliter & in ordine ad finem intantum a Religione, scilicet perfectionem Religiosam: quasi verò jejunium in Religione Carmelitana, in qua obligat sub veniali, minus conducatur ad perfectionem Religiosam, quam in Religione Franciscana, in qua obligat sub mortali.

Tandem, ut iterum adhibeam argumentum, quo usus sum de voto: vel obligatio Legis sub veniali est possibilis, vel non. Si primum, habemus intantum: si secundum: ergo nulla est obligatio, nec Lex, cum Legislatore, a quo pendet obligatio, non velit aliter obligare.

Tertia pars Conclusionis patet. Quia, dum Legislator contrariam intentionem non exprimit, censetur ordinariè velle obligare juxta capacitatem & exigentiam materiae, in quavis graviter, in levibus leviter. Dixi: *Ordinariè*; quia quandoque ex circumstantiis potest colligi contraria Legislatoris intentio.

Solvuntur Objectiones contra 2. partem Conclusionis.

Præter fundamentum adversae sententiae, jam solutum, obj. insuper 1. Hoc ipso, quo Legislator humanus fert legem in materia gravi, lex naturalis & divina de obediendo superiori legitime praecipit obligat in materia gravi; atqui lex naturalis & divina obligat sub mortali in materia gravi, nec hoc Legislator humanus impedire potest: ergo. R. N. Maj. Materia enim gravis obedientiae non est quacumque materia secundum se gravis, sed materia sub gravi obligatione praec. quia lex naturalis non praecipit obedire superiori, nisi quando vult, quantum vult, quomodo vult, & quod vult. Si ergo superior non velit sibi obediri in hac materia, nisi sub obligatione levi, lex naturalis nihil plus praecipit. Claritatis tamca gratia, D. Maj. Hoc ipso quo Legislator humanus fert legem in materia gravi, lex naturalis de obediendo superiori obligat in materia gravi fundamentaliter & materialiter, C. Gravi formaliter, N. Quia non obligat in hac materia, nisi ut subest voluntati Legislatoris, qui vult tantum obligare leviter.

Obj. 2. Non est in potestate voventis, aut jurantis, se obligare sub veniali in materia gravi: ergo nec in potestate Legislatoris, &c. R. Quantum ad votum, N. Ant. de quo sat dixi in Tract. de Religione Dissert. 4. art. 3. §. 1. requirere ibi. Quantum ad juramentum, dato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod in juramento obligatio non oritur ex intentione se obligandi, sed ex ipsa natura juramenti, seu ipso actu jurandi. Hoc ipso enim quo vocas Deum in testem tui facti, teneris propter reverentiam divini numinis ipsum verificare independentem a quavis alia intentione: sicut ex damno quavis intentione illato oritur obligatio restituendi. At in lege obligatio oritur ex voluntate Legislatoris.

Inst. Qui contrahit matrimonium, aut emittit professionem Religiosam, non potest sua voluntate efficere, ut inde non resultet obligatio gravis & indissolubilis: ergo similiter Legislator condendo legem in materia gravi. R. N. Conseq. Disparitas est, quod tam matrimonium, quam Professio religiosa sunt ex se indissolubilia, nec Ecclesia illa admittit nisi sub obligatione gravi, maxime cum sint contractus utriusque onerosi, in quibus cum ex una parte sit obligatio gravis, debet esse pariter ex altera; at obligatio gravis nullatenus est de natura, seu essentia legis.

Obj. 3. Legislator non potest in materia levi obligare sub mortali: ergo nec in materia gravi obligare sub veniali. R. N. Con-